

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D. Praeposito Berlinensi

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

radoxum aliquibus uidetur, nihil pugno: tecum familiariter disputo, ut tuam quoque sententiam audiam. Mitto tibi duas amicorum oratiunculas. Bene et feliciter uale, et rescribe. Die 12 Martij, 1543.

Reuerendo uiro D. Georgio Buchholzero, amico suo colendo,

S. D. Reuerende uir. Filij & sunt & erunt mihi curæ. Scripsit mediocre carmen Noha de Angelis, ad clarissimum uirum dominum Cancellarium. Nunc dedi splendidum argumentum de Samaritano. Ero hortator & alteri ad philosophica studia. Utinam Deus seruet his iuuenibus Ecclesiã, & mediocres politias. Profecto ingentes motus impendent, qui erumpent in proximum annum. Deus gubernet suam cymbam. Imperator Spiram proficiscitur, & opinio est conuentum in urbe Argentina fore. De pyrís ago gratias. Bene uale.

D. Præposito Berlinensi,

S. D. Spero illustrissimi Principis Marchionis Friderici gubernationem his regionibus salutarem fore: & ut Deus cum regat, toto pectore eum oro. Quia profectò in hac ultima & delira mundi senecta, quæ tam uarias habet confusiones imperiorum, opus est aliquibus principibus bonis, quo-

quorum moderatione & sapiētia aliquo modo mitigentur mala publica. De carne ferina agite reuenter gratias meo nomine. Vobis quoque pro uase ego gratias: & peccium mitterem, si quantum esset scirem. Vicissim autem pagellas & Principi & uobis mitto. Laudatio cōiugis ducis Prusis ita scripta est, ut uelut imago Principis matronæ sit, à qua uirtutum exempla petantur. Et laudes eius aliquò ad familiam Marchionum pertinent. De N. & N. barba, et circuitu, uoluntati pij Principis in his rebus & similibus ego obtemperarem. Sed sepe derisus sum, propter moderatiores opiniones. Bene ualete. Die 4. Februarij.

Reuerendo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Georgio Buchholtzer, pastori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa, amico suo colendo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: utinam hic ueniens quinquagesimus annus sit faustus & felix Ecclesiæ & Reipublicæ, & uerè sit lubileus, & mitigationem adferat calamitatum publicarum & priuatarum. Pro piris & ferina uobis gratias ago: etsi magis uelim uos mea causa non onerari sumptu: beneuolentia tamen delector. Et toto pectore opto, ut inter omnes qui docent Ecclesias, uera sit & firma, ac non fucata amicitia. Certè semper